



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXVIII. De Vicario Generali contra mandatum Episcopi procedente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

DECISIO XXVIII.

De Vicario Generali contra mandatum Episcopi procedente.

SPECIES FACTI.

Cæcilia nobilis puella ardentibus votis aspirabat ad recipiendum habitum Monachalem in Monasterio. Hæ parentes tamen multum obstitabant, cauantes, minus maturum adhuc iudicium in sua filia notari ad resolutionem tam arduam, atque idcirco adierunt Episcopum loci, ut Abbatissæ inhiberet receptionem Cæciliæ ad claustrum & habitum Monasticum, idque impetrarunt, non obitante, quòd to-

tum Capitulum unà cum Abbatissâ jam annuerint desideriis ac precibus Cæciliæ. Intra breve tempus contigit Episcopum ob certa negotia abesse à diocesi, qua occasione Moniales cum Antistita sua usæ confugerunt ad Vicarium Generalem, petendo licentiam habitu Monachali induendi Cæciliam, utpote capitulariter à toto Monasterio receptam, qui & concessit. Unde

QUÆSITUM,

An licentia à Vicario Generali data contra prohibitionem Episcopi in allato casu vires habuerit?

Pro Vicario Generali facit I, quòd receptio in Monasterium & ad habitum Religionis pertineat ad Conuentum, nisi speciales obtent constitutiones. c. porrectum 13. c. ad Apostolicum 16. de Regular. & tradunt communiter Juris Pontificii periti cum gl. in c. fin. de Regular. in 6. cum admissio ad habitum sit quædam inchoatio incorporationis ad Religionem, & qui-

dam contractus, quo persona recepta se dat & offert probandam, Religio autem se obligat probare illam, consequenter requiratur utriusque consensus, nempe tam Monasterii recipientis, quàm personæ ingredientis, aded ut Episcopus impedire non possit Moniales etiam sibi subditas, ne aliquam recipiant velut Novitiam, & Monasterium privare suo jure reci-

R 2

cipien-

cipiendi, sicut non potest illas cogere, ut aliquam recipiant, quam nolunt. de Bellamera in *can. fin. n. 1. caus. 16. q. 71.* & sicut non potest impedire ab aliis contractibus, cujusmodi etiam est admissio ad Professionem Religiosam, ineundis. Atqui puella hæc fuit capitulariter à toto Conventu per unanimum consensum recepta, & habitus illi destinatus: ergo non obstante prohibitione Episcopali potuit Vicarius Generalis dare facultatem, ut actualiter in Monasterium & ad habitum admittatur, vel potius sua auctoritate interveniente impedimentum ab Episcopo positum removere. 2. Prohibitio Episcopalis respiciebat solam Abbatissam: ergo fuit personalis, consequenter non extendenda ad reliquas Moniales capitulariter in receptionem conspirantes; nam personalia non egrediuntur ipsam personam, uti communiter docent cum Rota *decis. 397. n. 17. p. 5. Recent.*

At verò leviora sunt hæc, ut assensum à me impetrent. Siquidem indubitati Juris est ex *c. 16. de Majorit. & c. ut nostrum 56. de Appellat.* cum concordantibus, inferiori non esse potestatem aut jurisdictionem in voluntatem Superioris & in ea, quibus iste aliquando manum apposuit, vel disponere coepit, aut in reservatis ipsi Superiori sese immiscendi. Gonzal. *de Mensibus gloss. 52. n. 27.* Covarruv. *paritic. c. 9. n. 4.* Imola *in l. si expressum ff. de appellat.* Menoch. *Cons. 301. n. 4.* Id quod vel maximè

procedit in Vicario respectu sui Principalis, utpote cujus potestas dependet penitus à principali, & ab hoc ad nutum revocabilis est, aut restringibilis. Sed Vicarius Generalis est inferior Episcopo, ejusque potestas ab hoc unice dependet, tanquam revocabilis & restringibilis: ergo nihil omnino potest circa ea, in quibus Episcopus jam manum apposuit, interposita prohibitione disponere coepit, & sic potestatem Vicarii, quam aliàs vi Muneris & Vicariatus sui habuisset, limitavit, restrinxit, sustulit aut revocavit. Innoc. in *c. cum M. Ferrariensis de Conjur.* ibique Decius *n. 36.* Confirmatur prohibitio Episcopi, qua vetuit Abbatissæ admittere puellam ad habitum, à Conventu capitulariter receptam, respicit executionem capitularis determinationis & consensûs in receptionem, atque huic ponit impedimentum, nempe nimirum Abbatissæ, ad quam spectat determinationes capitulares executioni mandare, possit exequi, quod capitulariter decretum est: ergo, cum prohibitio Episcopi capitularis determinationis cursum, seu executionem impediverit, negando potestatem Abbatissæ, cujus est ponere executionem, Vicarius in Episcopi absentia non potuit concedere executionem contra expressam Episcopi voluntatem.

Pro Vicario adducta non facessunt negotium. Quamvis enim receptio in Monasterium & ad habitum Monachalem pertineat ad Religionem vel Conventum, si tamen Moniales sunt Episco-

po subiectæ, id non privativè & cum
 executione Episcopi pertinet ad Con-
 ventum, sed simul unà cum Conven-
 tu ad Episcopum. Roderiq. to. 3. qq.
 regular. q. 17. a 4. Navarr. l. 3. conf.
 40. n. 2. seqq. Armilla V. Novitius n.
 11. Tabiena q. 8. n. 9. & alii: quia
 Episcopus tanquam Superior repræsen-
 tat caput Conventus in tali receptione.
 Ex quo fit, Moniales Episcopo subje-
 ctas non posse aliquam recipere ad
 habitum Religionis invitò Episcopò,
 nec Episcopum invitò Monialibus:
 invitò autem & prohibentis Episcopi
 negatum consensum ejus Vicarius,
 tanquam inferior, & ab Episcopo de-
 pendens quoad potestatem suam, sup-
 plere, aut restituere nequit. Ad al-
 terum negatur, illam prohibitionem

fuisse personalem, & præcisè intuitu
 Abbatissæ factam, quasi intentio Epi-
 scopi fuerit, ut puella non recipiatur
 ad habitum à tali Abbatissa, non cu-
 rando, quòd alio modo recipiatur:
 sed prohibitio Episcopi fuit realis, &
 directa in ipsam receptionem, Abba-
 tissæ autem, cujus fuisset exequi ca-
 pitularem determinationem, tantum
 intimata: prohibitio autem, quæ di-
 rigitur ad rem, est realis, non perso-
 nalis, ut notat Tuschus litt. P. concl.
 896. n. 6. Dein, licèt prohibitio
 fuisset personalis, tamen debuerat po-
 tiùs attendi ejus ratio & intentio pro-
 hibentis, & sic extendi juxta exigen-
 tiam rationis dictæque intentionis.
 Covarruv. variar. l. 3. c. 5. n. 4. Pa-
 ris Conf. 32. n. 37.

TITULUS XXIX.

De Officio & Potestate Judicis Delegati.

DECISIO XXIX.

De petita restitutione in integrum coram Judice
 Delegato.

SPECIES FACTI.

Monasterium B. Ordinis Exempti
 collegit decimas ultra 40. an-
 nos in Parochia C. non incorporata
 sibi. Cum verò Raymundus, SS. Ca-
 nonum egregiè peritus (uti hodie
 permulti sunt ex Venerabili Clero

Sæculari) hanc parochiam fuisset con-
 secutus, actionem adversus Mona-
 sterium super decimis intentare cœ-
 pit, eamque coram suo Episcopo pro-
 posuit: at Monasterium objecit exem-
 ptionem, & Episcopum velut incom-
 peten-

R 3